



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 71. Leonardi Bruni, alias Aretini extrema

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV.

A. C. 1443.

§. LXXI.

Leonardi Brunii, alias Aretini, obitus.*Æn. Sylv.  
epist. 51.*

Hoc anno e vita decessit Leonardus Brunus, vulgo Aretinus cognominatus, eoquod Aretii Hetruriæ urbe, quo tamen mense ignoratur, natus esset. Græcam linguam a Magistro Emanuele edoctus, in Virum evasit suo ævo facile celeberrimum. Fuerat olim Innocentii VII, Gregorii XII, Alexandri V. et Joannis XXIII. usque ad Synodum Constantiæ celebratam Apostolicorum Breivium Magister, postea vero Florentinorum Reipublicæ Cancellarius. Vitam egit celibem, & cetera laudatissimam; id tamen ei vitio vertitur, quod terrenis bonis nimia quadantenus cupiditate inhiaverit. Ingentem sibi conciliavit gloriam Ciuitatis Florentinæ Historia, quam solertissime conscripsit; quorundam quoque Vitas a Plutarcho græce editas, latine reddidit, tresque libros de Bello Punico elucubrauit, necnon Historiam Gothorum, quæ tamen verius Procopii versio censetur, certius eidem alia Græcorum Historia adscribitur. Obiit Florentiis, annos natus septuaginta quatuor.

*Æn. Sylv. epist. 51.* Æneas Sylvius Aretinum, *magnum Hetruriæ splendorem* appellat, subditque, *Paul. Jov. in eolog. c. 9.* eo neminem post Lactantii ætatem Ciceronis eloquentiæ propius accessisse. Successit

cessit ei apud Florentinos Poggius, sæcul. XV.  
A. C. 1444.  
quamvis alius quidam Historicus Carolum Aretinum Leonardi consanguineum in illius locum suffectum scribat.

## §. LXXII.

*Novi apparatus bellici contra Turcas.*

Ladislaus Poloniæ ac Hungariæ Rex præclaris, quas anno superiore de Turcis, consilio & ministerio Juliani Cardinalis, & Huniadis fortitudine ac auxilio reportauerat, victoriis stimulabatur, ut bellum tam secundo Marte inchoatum prosequi constitueret. Præterea Eugenius Papa, Veneti, Genuenses, & Philippus Burgundiæ Dux validam classem ad intercipiendum Turcis transitum in Europam Regi obtulerunt, & Joannes Paleologus Græcorum Imperator viribus suis quamvis imparibus, negotium illis in Thracia se facturum promisit. Nec defuit Caramaniæ Princeps, qui bellum in Asia Amurati inferret, cum interea Christiani eum in Europa, acriter infestante Scanderbego, persequerentur. Denique omnes, quorum intererat, ad arma convolabant, solis Polonis dissidentibus, qui pulsus ex Hungaria Turcis, infestas Tartarorum incursiones veriti, Regem suum in Poloniam revocare studebant, ut regni negotiis utilius prospiceret.

An. 1444.